PHILOMELA BELGICA,

Quæ Dei opera & judicia hinc salutaria erga probos, illinc verò exitialia contra improbos, & quæ ad certam pacem consequendã facienda, & fugienda sint, alta & sonora voce decantat, quæ omnia diligenter & accuratè conscripta, & jam in lucem emissa sunt.

AB
HARMANNO RENNECHERO.

Eccles. 4. v. 33.
Pugna pro veritate usq; ad mortem, & Dominus Deus pugnabit pro te.

Hieron.
Nullus est fidus eorum affectus, quorum est diversa fides.

Cicer.
In bona causa præstat succumbere, quam malè, vincere.





FRANEKERÆ,
Ex Officina GERARDVS KETELIVS,
Sub Prælo aureo. Anno cIↄ. vIC.

Illustrissimo ac potentissimo Domino, Domino Henrico Frederico, nato Principi Auraico etc. etc: Domino suo clementissimo, autor summæ observantiæ ergò mittit.

PHILOMELA BELGICA.

ILLVSTRIBVS,
ET
POTENTIBVS, DOMINIS,

DOMINIS ORDINIB. OCCIDVÆ FRISIÆ, MECOENATIBVS suis perpetua fide & summa observantia unicè colendis, tanquam nova quędam novi anni mox ingressuri strenula, inscripta & dedicata

AB

HARMANNO RENNECHERO.

ILLUSTRES DD. *Ordines Deus omnipotens suæ providentiæ filum sic in hac mundi chorea ducit vel trahit, ut ubivis locorũ hinc durũ tempus, hinc verò magnũ bellum ei è regione respondeat, sic ut durus utriusq; concursus universum orbẽ terrarum valdè premat, magnisq; damnis & calamitatibus involvat & affligat, idq; justo Dei judicio. Nam quemadmodum nimis crassa hominum impietas instar profusi diluvij passim sine ullo divini Numinis metu & reverentia exundat, & omnia obruit: Sic etiam Deus ad impium mundum puniendum satis justus & potens est. Hinc factum est & adhuc fit, ut totus ferè mundus magnis miserijs, varijs ærumnis & tristissimis querelis plenus sit & circumfluat. Sic miseri homines pœnam peccati sentiunt, atq; iram Dei in se effusam agnoscunt, sed pertinaciam peccandi non mutant, propterea meliora*

liora non sunt sperãda, sed deteriora metuenda. Nemini ergò mirum videri debet, quod tam magna gravamina, ac tam multæ difficultates propter diversas animorum dissidentium sententias & censuras sese ingerant, atq; politicam gubernationem valde gravent ac perdifficilem reddant, ut inter confusos bellorum strepitus & tumultus fieri jam olim consuevit. Bellum autem illustres Domini, quod contra manifestos cælestis veritatis, vestræq; patriæ & vitæ oppressores legitimo jure suscepistis, est omnino justum, pium, ac sanctum opus. Nam qui pristina privilegia violat, qui publicam libertatem è medio tollit, qui tyrannicas leges condit & figit, qui integras nationes penitus extirpare vult, qui contra datam fidem & jusjurandũ indigenas à gubernaculis reipublicæ sine legitimo jure abdicat, & alienigenas illis substituit & præficit, qui nimis magna tributa subditis imponit, omniumq; bonorum decimas violenter exigit, ut sic paulatim Belgicas Provincias facilius exhaurire & pessundare possit: Deniq; qui sævissimam in religionis negotio contra omne ius divinum et humanum Inquisitionem vult introducere, ut omnes eos, qui damnatam & damnandam Missam, qui horrendã idololatriã, crassasq; omnis generis superstitiones recipere & adorare recusant, vel ferro, vel igni, vel laqueo, vel quovis alio gravissimo supplicio perdat, aut perpetuo carceri mãcipet: ille nequaq̃ est legitimus Magistratus, & verus patriæ pater, sed re ipsa et facto, se apertum tyrannum, atq; patriæ eiusq; libertatis opressorem esse. declarat. Ei igitur, quia contra politicam honestatem, & cælestem veritatem agit & facit, simpliciter obediendum non est: Ille enim non tam Deo, quam suæ libidini & Diabolo inservit. Tali qui tributũ solvit, is, ut Chrys. inquit, nõ tam homini, quàm Diabolo reddit vectigal. Præterea rex, omnisq; Magistratus tantummodo rerum externarum cum honesto iure et æquitate gubernator est. In rebus verò spiritualibus pro

libitu

libitu, non est dominator. Cælestis igitur doctrina est tanquã divina regina et magistra in supremo solio residens, unicuiq; quid faciendum, vel vitandum sit, præscribens et severè mandans: humanæ verò leges & constitutiones in subsellijs manent, & tantum administræ sunt, regunt accepto, & non dato iure. Quamobrem rectißime inquit Tertullianus ita scribens, cælesti veritati nemo præscribere potest, non spatium tẽporum, non autoritas personarum, non privilegia regionum. Hoc etiam divus Augustinus asserit & comprobat, dum inquit, contra scripturam nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus sentit, contra conscientiam nemo probus quidquam vel dicere vel facere solet. Hoc etiam volunt sancti Apostoli, Act. 4. v. 29. quorum sententia utraq; manu totoq; pectore tenenda est, nempe quod Deo potius, quàm hominibus obediendũ sit. Hinc sequitur, quod Regibus et Magistratibus usq; ad aras, & non ultra obsequium et servitium debeatur. Quare illustres Domini cum reliquarum Provinciarum fœderatarum Ordinib. rectissimè hactenus fecistis, & adhuc hodiè piissimè facitis, quod ad defendendã cælestem veritatem & patriæ vestræ incolumitatem & salutem pro virib. constanter et fideliter decertetis. Huiusmodi Deus certam victoriam promisit. Dicit .n. scriptura disertis et expressis verbis, Eccle. 4. v. 33. pugna pro veritate usq; ad mortem, & Dominus Deus pro te pugnabit. Vestra autẽ illustris dominatio pro veritate pugnat, & usq; ad mortem pro ea pugnatura est, Deus ergò pro vobis pugnabit, vos itaq; quia Deus pro vobis pugnat, certam victoriam reportabitis. Hæc Dei promißio est tam vera et rata, quàm Deus ipse sua natura est sempiternus & insuperabilis. Hic magna fide & fixa constantia opus est, quia ea, quæ Deus promittit, statim non eveniunt, aliquando etiam longè aliter, quam homines volunt, ea adimplentur. Divina ergò promissio quamvis humanis votis per omnia

non respondeat: tamen de Dei fide et bonitate certoq; auxilio iuxta promissionem minimè desperandum est. Nam Deus tunc demum iuvare solet, cum de humanis viribus actum et conclamatum esse videtur, ut eius auxilium tanto illustrius et certius sit. Ex his iam dictis hoc, ut longè verissimum concludi debet, quod cum hoste pacē inire & fœdus ferire cum cælestis doctrinæ iactura nullo pacto poteritis. Si quispiam hoc fecerit, ipse apertè, quod hominem mortalem, quam Deum Creatorem, & Christum salvatorem magis diligat et honoret, ostēdit. quod sanè nemo sine certissima divini Numinis offensione & damnationis periculo fecerit. Ad hæc etiam hoc accedit, quod Deus optimus Maximus singulari quadam gratia vestris bellis administrādis tales duces et bellatores, qui minimè suspecti sunt, dederit & miserit, sed eiusmodi, quorum fidelitas in negotijs, Constantia in periculis, Sapientia in consilijs, Prudentia in modo agendi, Dexteritas in pugnando, Felicitas in vincendo, est toti Europæ satis cognita & perspecta. Tales illustrissimum Dominum Mauritium Principem Auraicum, & generosissimum Gulielmum Comitem Nassovicum fœderatæ Provinciæ (Deo sit laus) semper expartæ sunt, & deinceps Deo iuvante, eos tales experiētur. Illustres omnium Provinciarū Domini, hoc vos ad bellum gerendū, alacriores reddere, et maximè incitare debet, non solum quod veram religionem in vestris Provincijs, ab omnibus errorum corruptelis, et mendaciorum monstris repurgatā defendatis, sed etiam, quod simul pro omnibus Ecclesijs reformatis, per totam Germaniā dispersis, contra hostes Euangelij depugnetis, vos ergo, licet bellum in his Provincijs geratis: tamen nihilominus superiorem, Germaniam maximè defenditis. Vestrum bellum est quasi murus aheneus, quo hostes à superiore Germania abarcentur. Quemadmodum symbola magnæ navi inter tempestatum iactationes, ne fluctibus obruatur, allegata est, et ser-

et servatur. Sit etiam superior Germania, huic inferiori ne ab hostibus Christi expugnetur, adhæret: Qui hoc non videt, is vel negotiũ nõ intelligit, vel malus iudex est. Porro illustres Domini humili et submisso animo vos omnes et singulos rogatos, imo exoratos velim, ut hãc Philomelæ dedicationẽ vestræ illustri dominationi inscriptam & consecratam in bonam partem more consueto accipere, et vestræ autoritatis scuto contra maligni ingenij dentem defendere non dedignemini. Hoc vos quam libentissimè facturos arbitror, præsertim cum hæc Philomela vobis ab eo, qui vestra incolumitate & felicitate maximè delectetur, inscribatur. Filius Dei in Cælis ad dextram sui Patris residens vos singulos ad nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ defensionem, ad vestram & subditorum salutem, ab omni malo salvos quam diutissimè conservet & tueatur. Faxit etiam Deus, ut hic novus annus mox adfuturus vobis omnibus felicibus auspicijs ineat, felicioribus procedat, felicissimis exeat, exitus autem semper quam beatissimus ad finem usq́ permaneat. Postremo benevole Lector, ne te permoveat quæso, quod hæc Epistola aliquo modo prolixior facta sit, nam hoc miserrimo tempore, ut copiosior esset, et in vulgus ederetur, occasio pernecessaria sese obtulit. Nonnulli enim malè feriati spiritus passim obvolitant, qui sibi sub Hispanica servitute, quam sub Euangelica libertate, melius fore, putant. Hos ut ab insana sententia retraherem, & ad saniorem mentem melioremq́ frugem revocarem, atq́ pericula inde illis superventura, evidentibus argumentis ob oculos ijs ponerem, Epistola omni opinione citius, longior, quam proposueram, evasit. Vtinam tantum sanæ mentis isti, talesq́ oculos haberent, ut rectè & cum judicio, quod iam sub optimo & potentissimo Magistratu sint, intelligere et videre possint. Sed quisq́ prout affectus est, sic etiam de rebus iudicare solet; Idcirco boni et cordati viri sub Euangelico Magistratu,

mali

mali verò & superstitiosi sub Pontificio imperio et iugo esse malunt. Quare optimo Lector de bono consilio & fine bene et sincerè iudica. Deus pro sua misericordia te in rectam salutis viam, ut salvus fias, perducat et in ea ad finem usq; confirmet. Iam illustres Domini nihil aliud superest, quam ut vestra illustris Dominatio sereno vultu, et benigna mente, quidnam Philomela nostra moduletur et cantillet, perlegere, vel audire minimè gravetur.

Pax Christi et animæ salus, sit vester thesaurus et felicitas in æternum,

Amen.





PHILOMELA BELGICA.

EN ego dulcisonum Batavas Philomela per oras
Gutture diffundo liberiore melos.
Vt repleo pulchras placido modulamine sylvas,
Sic vobis Belgis gaudia magna cano.
Plurima Nam summi DEUS argumenta favoris
Hactenus ostendit, pluraq; signa dabit.
Extendetq; suam per facta Illustria dextram,
Pellet & à vestris hostica castra focis.
Horribiles peditum turmas, equitumq; phalanges,
Munitasq; urbes, firmaq; valla loco.
Sævaq; tormenta, ac diri arma horrentia Martis,
Magnificas vires, robora summa simul.
Diffringet penitus, passim fragmenta jacebunt,
Vsq; viatori facta ruïna patet.
Sunt herbæ similes, summi quæ culmine tecti
Nata est, quæ vento flante repentè perit.
Istorum vires, roburq; & tota potestas
Instar erunt fumi, pulveris instar erunt.
Belgia ne trepides, manibus ne pectora pulses,
Nec querulo fundas tristis ab ore sonos.
Nam tibi sunt nervi magni, viresq; potentes,
Et Deus est tecum, justaq; caussa tua est.

Et tibi dux belli longè est fortissimus heros,
Auraïcę Princeps, Nassovięq; comes,
Nomine Mauritius, famâ super æthera notus,
Ob benè res gestas regna per ampla volans.
Hic animo est & Marte potens, hic oppida multa
Vicit, & imperio, subdidit illa tuo.
Hic probus est, etiam nulli pietate secundus,
Nobilis ille armis, nobilis ille togâ est.
Est Gulielmus item miles ter maximus ipse,
Consilio prudens, auxilioq; potens.
Res illi cessere quidem feliciter omnes,
Donec jam Mavors tristia bella movet.
Publica res ejus fidei commissa putatur,
Præ reliquis felix, atq; beata nimis.
Ergò illi justum quivis præstabit honorem,
Et tanquam Domino justa tributa feret.
Nimirum Comes est, rectè studiosus & æqui,
Æternumq; colit sedulitate Deum.
Hî duo sunt magni, suntq; omni ex parte fideles,
Quos Patriæ veros dixeris esse Patres.
Hic Fredericus adest princeps animosus, & ipse
Nil timuit Mauros fortius arma movens.
Casibus in dubijs, interq; pericula mortis,
Præclarum specimen roboris ipse dedit.
Hic Comes Holachius, Comes & Solmensis, uterq;,
Cum Mauris timet haud conservisse manum.
Pugnarunt summâ cum laude fideliter ambo,
Nomen & egregium promeruêre sibi.
Est Comes Ernestus, Comes & Lodovicus, uterq;
Nassoviæ decus, & gloria magna domus.
Hi duo straverunt, quam plurima pectora Iberi,
Sæpius & vires exeruere suas.

Sunt

Sunt tibi præterea Domini virtute potentes,
    Conſilio hos magnos dixeris eſſe viros.
Hi ſuperant mentis vel cunctos numine quōdam,
    Curia quos habuit Martia Roma ſua.
Eſtq; potens peditum, tibi vis equitumq; treméda,
    Eſt Mercatorum turba opulenta tibi,
Vrbes ſunt validæ, quoq; propugnacula firma,
    Sunt tormenta tibi, fortia & arma tibi,
Sunt quoq; fœcundi campi, ſunt pinguia prata,
    Eſt quoq; prædives ruſtica turba tibi.
Vndiq; vel ponto, fluvijs vel cincta profundis,
    Navibus & magnis Belgia tota vales,
Et diffracta jacet paſſim tam magna poteſtas,
    Robur & amiſit turba nefanda ſuum,
Flandria tota gemit, multumq; Brabantia luget,
    Hinc lachrymas fundit raſa caterva ſuas.
Vos igitur Belgæ, manibus qui cuncta tenetis,
    Quæ referant lætis læta trophæa modis.
Vos,inquam trepidum dimittite corda pavorem,
    Aſt humili ſummo fidite corde Deo.
Sit licet ipſe potens,& vix ſuperabilis hoſtis,
    Attamen à parvo ſternier hoſte poteſt.
Sępè animal magnum volucri fit præda puſillæ,
    Davide à tenero victus & ecce Leo eſt,
Et cecidit proſtratus humi, ſaxoq; petitus
    Procubuit Goliat maximus ille gygas.
Gloria ſic etiam belli victoria vobis
    A Domino dabitur, Mars quoq; nullus erit.
Hoc qui promiſit, nunquam promiſſa reſcindet,
    Nec fidei fallet fœdera ſancta ſuæ.
Purius eſt auro, quod ſeptima flamma recoxit,
    Quicquid veriloquo fudit ab ore Deus.

Antè ruet Cœlum, potiusq; elementa peribunt,
Irrita quam fieri tradita pacta velit.
Magna Dei virtus manet immutabilis una,
Cætera mutantur, firma sed illa manet.
An non ex victis, quam plurima signa supersunt?
Nonne ornant Belgas multa trophœa pios?
Solvite grata Deo meritæ libamina laudis,
Vsq; quod hostilem fregerit ipse manum.
Hoc opus ut cœpit, sic hoc quoq; finiet ipse,
Odit ut ille malos, sic amat ille bonos.
Hos ut in æternum statuit servare, tuetur,
Turbare hos mundus, non superare potest.
Quam Deus est virtute sua insuperabilis ipse,
Invicti tam sunt hîc & ubiq; pij.
Nam Deus hos servat, defendit & usq; gubernat,
Illius ex manibus nemo potest rapere.
Nec mare, nec venti, totus nec mundus & orcus,
Nec mors, nec mortis tela vel ulla feræ.
Vos igitur Belgæ pactis & fœdere juncti
Pro Patria, atq; aris arma movete sacris.
Quid patrijs agris melius, quid dulcius arvis?
Lætius & pura quid pietate? Nihil.
In cruce Christiadum certa est victoria cuivis,
Et benè certandi læta corona datur.
Nullarum rerum vis, atq; potentia major,
Quam veri, atq; animi fortis & innocui,
Ergò ipsum quicunq; volunt pessundare verum
Fraude, dolo, aut ferro, non secus hi faciunt,
Quam si continuis feriat latratibus auras
Adversus solem, celsa vel astra canis.
Credite non ulli est homini superabile verum,
Quamvis præfidat viribus ille suis.

Vos

Vos igitur certare decet; nam magna dabuntur,
Præmia certanti gaudia summa poli.
Causa placet Christo victrix, sed victa profanis,
Et tumidis Mauris, sacrilegoq; gregi.
Hos agitat rabies, præcepsq; exuscitat ira,
Hos dolor inflammans trudet in omne nefas.
Ergò laborabunt ex his vel gentibus illis,
Amissas vires jam reparare suas. (vebunt,
Flectere cum nequeant superos, Acharonta mo-
Consilijsq; suis prælia multa coquent.
Quapropter Belgas opibusq; virisq; potentes
Tempore tam duro vos vigilare decet.
Vos etiam Proceres rerum, summiq; Monarchę,
Consilia & curas suscipitote graves.
Exigite à vestra tam justum plebe tributum,
Vt cum laude queant tam pia bella geri.
Vos ergò agricolæ Geldri, Bataviq; coloni,
Vos quoq; Mattiaci, Vos Frisijq; viri,
Vos Mercatores, vario vos nomine nautæ,
Vos rerum artifices, Vos pueri atque senes.
Nunc magnos, semperq; graves tolerate labores,
Languescant nullo corpora vestra modo.
Divitias & opes hinc inde acquirite multas,
Argentum haud pigra nunc cumulate manu.
Parcite quæsitis, & vivere discite parvo,
Ne pereant luxu, parta labore, gravi.
Conferte in medium cuncti quodcunq; potestis,
Per varias curas, quæ Deus ante dedit.
Non plus exigitur justus quàm postulat usus,
Quamq; hujus belli grande requirit onus.
Ne sis difficilis quasi opes sine fine futuræ
Sint tecum, nec tu fata suprema feras.

Nudus ut intrasti mundum,sic nudus abibis,
Vt nihil importas,sic nihil inde feres.
Ergò animo prompto tribuas quodcũq; necesse est,
Et quæ jam præsens postulat,hora,dato.
Vt Domini,belliq; duces stipendia possint
Solvere militibus, tradere cuique suum.
Hostis ut à vestris pellatur finibus atrox,
Vestra quoq; ut regio salva manere queat.
Nam si magnorum Procerum felicibus ausis,
Et justis bellis,legitimisq́; modis.
Ingratis animi,& cœca cupidine rerum,
Exiguum censum subdita turba neges.
Horridus orbabit cunctis te rebus Iberus,
Nudus eris subitò,qui modò dives eras.(egestas,
Tunc dolor & lachrymæ , & malesuada sequetur.
Flebilibusq́; modis te Metanæa coquet.
Vos igitur Belgæ nullis jam parcite rebus,
Nec vestræ vitæ,corporibusq́; simul.
Sed magnis animis,junctis quoq; viribus,ipsos
Pellite nunc Mauros arma movenda procul.
Quamvis pugna ferox, & multa pericula vobis,
Duraq́; cum certa sint subeunda cruce;
Sævaq; cum magno certamina sanguine restent,
Attamen haud causa est abjicienda bona:
Rebus enim in justis longè succumbere præstat,
Quàm malè perversis cedere & arma dare.
Credite vos Geldri, Batavi vos credite cives,
Credite Mattiaci, credite vos Frisij,
Si fuerit Maurus vestris Dominator in oris,
Nunquam tanta fuit,quanta Tyrannis erit.
Hoc miseros inter Belgas erit ater Iberus,
Horrificus timidas quod Lupus inter oves.

Quoslibet

Quoslibet interimet, nulli sua proderit ætas,
Sed ruet in gladios heu puer atq; senex.
Sanguine profuso fluvij fossæq; rubescent,
Omnis & hinc illinc semita sanguis erit.
Vel tibi si detur mortis vitare periclum,
Et tu si patrio manseris ipse solo,
Externas patriâ fueris si pulsus ad oras.
Crede mihi, æternùm tu miser exul eris.
Pristina libertas tibi tunc erit omnis adempta,
Vilis eris servus, mancipiumq, merum.
Exprimet exactor lachrymas, Domitorq; superbus
Ad varias plagas ingeniosus erit.
Hoc si non credis, te te experientia certum
Reddet, & exemplum tu tibi flebile eris,
Tunc eris instabilis, nec in his, nec in urbibus illis,
Invenies certum, perpetuumq; locum.
Nemo tibi placidus, nullus tibi fidus amicus
Sive pedem figas, sive vageris, erit.
Tunc varij gemitus, tunc tristia vota sonabunt,
Et comedes inopis vilia scruta cibi.
Doctrinâ, verâq; fide, propriâq; salute,
Et sacris signis, cœtibus atque pijs.
Mox à sacrilegâ miserè spoliabere turbâ,
Cogeris contra dogmata falsa sequi.
Pro vero, vivoque Deo tibi numina vana
Obtrudent varijs dira per arma modis :
Proque ipso Christo dabitur tunc hostia mira,
Quam facit ex massis impia missa tribus.
Atque idola colens mutis dabis oscula saxis,
Sic tibi spes vitæ nulla perennis erit.
Quare præstiterit vitulos, & vendere vaccas,
Atque domos proprias, cunctaq; rura simul.

Quam

Quam victas præbere manus, & cedere campo,
Horrida quàm Mauri jussa subire feri.
Non ea, quę loquitur, sed sunt exempla videnda,
Hæc te commoveant, admoveantque simul.
Vt te decipiat, fato te tollat acerbo,
Aurea verba tuis auribus ipse dabit.
Pacem lingua crepat, bellum sub pectore versat,
Os mel depromit, mens aconita vomit.
Si quam promittat, non pax, sed callida fraus est,
Duplice sic novit subdolus ore loqui.
Vincere si posset, nunquam tibi fœdera pacis
Offerret, verùm crux tibi certa foret.
Talia non opus est longè hinc exempla petantur,
Talibus exemplis Belgia tota scates.
Felix, ô nimium felix, qui tanta pericla
Providus alterius cernit, & inde sapit.
Quod sit crudelis, quod sit truculentus & atrox,
Hoc variæ clades, multaq; damna docent.
Cum levibus nunquã placeãt tibi fœdera Mauris,
Perfidiâ præstant, proditione valent.
Perditio certa est, quævis oblatio pacis,
Nil aliud quærit, quam mala damna tibi.
Est fallax Maurus, plenusq; est fraudis Iberus,
Quam modò promittit, mox negat ille fidem.
Ille tuos igni mactavit Belgia cives,
Et nimis imposuit dura tributa tibi.
Hinc Rex ille potens, populi dominator Iberi,
Cujus & imperium plurima regna timent.
Eximias urbes, terras amisit & amplas,
Et cultos agros, pinguia prata simul,
Summos thesauros, & opes, populumq; potẽtem,
Quo vix majorem maximus orbis habet.

Belgia

Belgia prædives magno circumfluit auro,
Et propè quid præſens vita requirit, habet.
Hîc (Ita) ſemper adeſt, cunctis quia rebus abũdat,
Ergò quibus caret hæc, nullus habebit opus,
Geldria dives opum, varijs Hollandia gazis
Affluit, & magnis haud caret ingenijs.
Divitias, & opes, hominesq́; Zelandia fortes,
Et benè conſultos poſſidet illa viros.
Commendat Friſios fœcundæ gloria terræ,
Quæq́; viros celebres, magnificosq́; fovet.
Nobile Trajectum placidis nitet undiq; rebus,
Et magnis Dominis, munificisq́; ſcatet.
Fertilibus pratis, ſplendetq́; Omblandia campis,
Atq; viris claris ipſa Groninga valet.
Perdidit imperio rex hæc nimis omnia duro,
Hoc etiam Mauris maxima damna dedit.
Sic qui vim faciunt alijs ſine jure tyranni,
Plus damni accipiunt, quàm pariunt alijs.
Seque ſuo gladio jugilant plerumq; feroces,
Fraudis & artifices fraude perire ſolent.
Magni ſæpè viri, pereuntq́; ampliſſima regna,
Ob nimis & durum, conſiliumq́; malum.
Nam cum fortunam ſtatuit mutare potentum,
Omnipotens mentes infatuare ſolet.
Conſilia evertit, penitus corrumpit, & aufert,
Vt plus non ſapiant, quam pueri, aut pecudes.
Tunc leges, & pacta jacent, regnatq́; Tyrannis,
Cunctaq́; tunc pereunt, ſingula quæq́; ruunt.
Nil etenim plus rebus obeſt, quàm prava regentũ
Conſilia, & populo juſſa ſevera nimis.
Læta quidem res eſt, bona Pax, ſi poſſit haberi
Cum vera ſtabilis relligione fides.

Noxia res pax est, si sit contraria Christo,
Illius & verbis, dogmatibusq; sacris.
Quisq; igitur Patriæ charos defendito fines
A Domino acceptas ut tuearis opes.
Est melius Patrijs vivas mendicus in oris,
Quam rigidi Mauri jussa maligna sequi.
Perfida pax valeat, placeat pia bella gerantur,
Vt maneant Belgis libera jura probis.
Servitium cunctis longè durissima res est,
Nam facit hæc mœstos, examinesq; viros.
Libertate nihil toto est pretiosius orbe,
Nam facit hæc lætos magnanimosq; viros.
Rebus in humanis, ut lux clarissima splendet,
Hæc melius nihil est, dignius atq, nihil.
Hanc opibus præferto tuis, hanc sanguine fusô,
Hanc gladio stricto, hanc ense tuere tuo.
Sic tu præclaram per facta illustria laudem,
Nomen & æternum feceris ipse tibi.
Omnia, quę bello impendis, dederisq; juvando,
Exempla hæc alijs sunt imitanda viris.
Sunt veluti Patriæ lucrum, & durabile fœnus,
Post te quod reliquos usq; juvare potest.
Hæc tua sedulitas, est magna usura futuris,
Summaq; commoditas, utilitasq; viris.
Quâ piā posteritas uti, seriesq; nepotum,
Lætari poterit semper, & usq; frui.
Tu constans igitur summa cum laude maneto,
Præmia (quis dubitat) digna labore feres.
Est equidem virtus constantia, maxima rerum,
Virtus, quâ nihil hoc majus in orbe datur.
Quod superest moneo, sēperq; monēdo precabor,
Iugiter & tota mente precando petam.

Qui-

Quilibet ut concors vivat, ne fœdera pacis
Turbet, & in magnum corruat ille malum.
Pax equidem regale decus, diodema potentum
Vincit, & eximium est magnificumq́; bonum.
Hæc hominum manus est, &eorũ summa potestas,
Quâ sine nil magnum fiet & eximium.
Hęc ubicunq; viget, Deus est ibi numine præsens,
Ex se producens maxima quæq́; bona.
Hac nihil utilius, nihil hac & honestius usquam,
Hæc anima est rerum, est omnis imago boni.
Res etiam infirmas faciet concordia firmas,
Materia ex parva nobile reddet opus.
Roborat hæc urbes, hęc regna amplissima firmat,
Cogit & ingentes servat & auget opes;
Terribiles hostes patrijs à finibus arcet,
Hæc animos unit, munit & omne bonum.
Splendida totius mundi concordia lux est,
Hac nullum est toto pulchrius orbe bonum.
Pax igitur placeat, placeat concordia semper,
Hæc opus est summi, præsidiumq́; Dei.
Impia sed justas frangit discordia vires,
Distrahit hæc rixis plurima corda suis.
Hinc tenui pendent eheu nunc omnia filo,
Cunctaq; præcipiti sunt loca plena metu.
Hęc est grande nefas, hæc est furialis Erynnis,
Hæc genitrix diræ seditionis erit,
Dedecus est summum nec perniciosius ullum,
Nam dabit infirmo scandala magna gregi.
Deterius nihil est, nihil hâc indignius usquam
Vna hæc in sese continet omne malum.
Destruit, evertit, permiscet & omnia turbat,
Mutat in antiquum singula quæq́; chaos.

Magna eſt impietas diffringere fœdera pacis,
Atq; inopi plebi magna creare mala.
Præclaram famam, magnumq; amittere nomen,
Hujus quod vitæ præcipuum decus eſt.
Res etiam magnas faciet Diſcordia parvas,
Vertit & in nihilum quod fuit ante aliquid.
Namq; amplas urbes, & regna potentia perdit,
Hæc minuit magnas tollit & haurit opes.
Hæc varias clades, hæc multa pericula gignit,
Procreat hæc juſtis jurgia dira viris.
Omnia præcipitat, varijs hæc cuncta ruïnis
Implicat, & firmum nil ſinit eſſe diu.
Sic gemuit quondam diſcors ſibi Roma tumultu,
Et paſſa eſt miris maxima damna modis.
Si vitium hoc poſſet, quàm ſit deforme, videri,
Dixeris hoc monſtro fœdius eſſe nihil.
Vrbs ergò & regio diſcors deterrima res eſt,
Quâ nullum eſt toto turpius orbe malum.
Lis igitur valeat, valeat diſcordia ſemper,
Hæc opus eſt ſatanæ, conſiliumq; ſtygis.
O Deus Omnipotens, ô Chriſte ſalutifer Orbis,
Reſpice nos miſeros, propitiuſq; juva.
Ex adytis Cœli, medioq; ex monte Syonis,
Auxiliatricem porrige quæſo manum.
Pax tibi ſancta placet, ſolus tu pacis es author,
Nubila quiq; diem poſt tenebroſa refers:
Exortos fluctus, tumidas compeſce procellas,
Et varios motus, tot ſtrepituſq; graves:
Triſteq; diſſidium, trepidoſq; inhibeto tumultus,
Quæ lacerãt populum, magnáq; corda movent.
Sic cohibe ventos, ne ſæpiùs æquora turbent,
Sed placidè velis aura ſecunda fluat.

Ne

Ne mala tempeſtas valido cum turbine ſurgat,
Obruat & fragilem fluctibus illa ratem.
Belgia ſi fueris concors, & pacis amatrix,
Te fraude aut ferro vincere nemo poteſt.
Mens ſapiens, fortiſq; animus, concordia conſtans,
Hæc tria ſunt lapſis fortia fulcra bonis.
Sunt etiam cunctis adamantina, vincula regnis,
His ſine quæ nequeunt firma manere tribus.
His mihi conceſſis rectè concludere poſſum,
Aptáq; propoſito verba referre meo.
Hoc reor, hoc ſtatuo, quod ſis pia Belgia fœlix,
Nam Deus eſt tecum, juſtáq; cauſa tua eſt.
Si dubij caſus, ſi magna pericula ſurgant,
Te Deus auxilio proteget uſq; ſuo.
Triſtia ſi rapidus tibi bella minetur Iberus,
Te Deus auxilio proteget uſq; ſuo.
Carnifices duros Boreas ſi mittat & Eurus,
Te Deus auxilio proteget uſq; ſuo.
Horribiles hoſtes Zephyrus ſi mittat & Auſter.
Te Deus auxilio proteget uſq; ſuo.
Si rabies mundi, ſi te premat Orcus & angat,
Te Deus auxilio proteget uſq; ſuo.
Cœlitus & felix, ſemperq; beata manebis,
Nam Deus eſt tecum, juſtáq; cauſa tua eſt.
Omne quod inſtituent, in te quæcunq; parabunt,
Quicquid & intentent hoſtica caſtra tibi.
Iſta retorquebis, Deus & convertet in illos,
In caput illorum miſſáque tela cadent.
Sis animo forti, nec re movearis ab ulla,
Hęc belli moles proderit atq; labor.
Soli fide Deo, ſoli conſtanter adhære,
A ſolo cunctis eripiere malis.

Pro te pugnabit, rabidosq́; repellet Iberos,
Et Mauros franget, percutietq́; truces.
Multa pijs toleranda viris, & maxima probra
Discipulis Christi sunt subeunda probis.
Hæc est sancta Dei per secula cuncta voluntas,
Quæ non mutatur, sed manet usq; rata.
Per res adversas, per multa incommoda vitæ,
Per duros casus, per strepitusq́; graves.
Per varios luctus, lachrymas & prælia mundi,
Ibis ad æterni regna beata Dei.
Hæc est conditio, sors est haec unâ piorum,
A rabie mundi nocte dieq́; premi.
Ast immota fides superat certamina mundi,
Et superat satanam, vincit & omne malum.
Hæc est sanctorum victoria magna triumphans,
Quod satanæ reprimant ignea tela fide.
Sis igitur patiens, pia crux est janua cœli,
Est & supremi virga paterna Dei.
Hanc animo patiente feras, subeasq; libenter,
Nam quem castigat, corrigit atq; beat.
Ergò crucem perfer, tandem meliora dabuntur,
Prœlia cessabunt, pax erit alta tibi.
Te Deus omnipotens opibus ditabit & auro,
Pauper & amissas tunc reparabit opes.
Atq; ita florebit Frisia hæc, & Belgia tota,
Rebus & in cunctis copia dives erit.
Vos igitur Patriæ patres proceresq́; potentes,
Ac domini belli, pręcipuiq; duces.
Prospicite in longum, magnis date fulcra ruinis,
Rebus & infirmis porrigitote manum.
Res sunt angustæ, mala sunt jam tempora rerum.
Vndique bella fremunt, atque pericla premunt.

Esuries-

Esuriesque gravis mortalia pectora torquet,
Innumeri morbi, & tormina plura gravant.
Instabiles animi, dubij, timidique labascunt,
Multáque desperant, corda subacta metu.
Eheu corruptum recto de tramite mundum
Impietas scelerum flexit & abripuit.
Sed Deus alme Pater, Patria bonitate remitte,
Et scelera, & noxas ablue quæso malas.
Ac miserum mundum placido bonus aspice vultu,
Et pœnas scelerum tolle benigne graves.
Ergò agite ô Geldri, Batavi, Frisijque, Zelandi,
Cives, pagani, ruricolæque viri.
Vos ausi primùm Christum pietate fateri,
Illius & tantum dogmata sancta sequi.
Non sine vestrarum magno discrimine rerum,
Tunc etenim rabies magna tyrannis erat.
Mutati in melius sanctam traducite vitam,
Quæ placeat Christo, sit quoq; digna Deo:
Et fidei verę veros producite fructus,
Hos casti mores, puráque vita probant.
Sic eritis Christi fratres, & membra decora,
Spiritui & sancto templa sacrata Deo.
Ritibus & sacris vos exercete frequenter,
Sic fiet major, crescet & ipsa fides.
Hic res cœlestes, hîc sunt & symbola verum,
Hæc capit ore caro, spiritus illa fide.
Hæc duo, qui rectè distinguere mystica norunt,
His est vera fides, puraque relligio.
Hîc sancti mores, pia vita requiritur usque.
Tam fugiendo malum, quam faciendo bonum.
Proderit haud quicquam te scire volumina sacra,
Si desit pietas, obsequiumq; Dei.

Quid

Quid juvat eximias didicisse & noscere leges,
Si benè facta fugis, si malè facta facis.
Ne pecces, Deus ipse videt, tuus Angelus astat,
Observans quidquid feceris ipse mali.
Externo ritu si vis probus esse, necesse est,
Vt placeas summo speq; fideque Deo.
Absque fide quæcunque facis, facis omnia frustra,
Spe sine nec Christus proderit ipse tibi.
Ergo Deus semper pura pietate colendus,
Omnis & impietas est fugienda procul.
Sic eris hic felix, vitae, & statione peracta,
A Domino dabitur vita beata tibi.
Hactenus hæc cecini Batavos Philomela per agros,
Nunc repeto nidum, mox reditura, meum.
Ast unũ hoc superest, quod me dispergere oportet
Ad varias terras, ampláque regna procul.
Absque Deo quicunque volunt regnare, peribunt,
Atque tyrannorum vis maledicta ruet.
Ast Belgae pariter vincent, sed victus Iberus
Ibit ad hesperias non rediturus aquas.
Hoc Deus Omnipotens, hoc exitus ipse probabit,
Haec quod dicta suam sint habitura fidem.
Haec ego praedico nostris bona gaudia Belgis,
Haec quasi vaticinans nuncia lœta cano.
Tempus enim veniet, quo bella atq; arma silebunt,
Et Belgas inter surget amica quies.
Haec stant perpetuis prognostica plena triumphis,
Quae maneant altâ mente reposta diu.
Ense triumphabis, sed Belgia pace peribis,
Ergò Hispanorum pacta, jugumq; fuge.

FINIS.

